



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Codex diplomaticus Brandenburgensis

Sammlung der Urkunden, Chroniken und sonstigen Quellenschriften für
die Geschichte der Mark Brandenburg und ihrer Regenten

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1862

VII. Fragment einer Chronik des Bisthumes Brandenburg.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55046](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55046)

VII.

Fragment einer Chronik des Bisthumes Brandenburg.

Genealogiae Ducum Brunsvicenfium et Luneburg ex fragmento quodam
vetusto Chronici Brandeburgenfis.

Henricus quintus Rex Saxoniam maxima strage invasit, captivatis ejus Principibus vel occisis. Tunc Luderus, Dux Saxonie, cum nobilibus occurrerunt regi in locum, qui dicitur Welpes holte, contra multos pauci numero pugnaturi, in quo bello anno Domini MCXV. potentiam regis Saxones contriverunt. Henrico vero rege apud Trajectum defuncto, anno Domini MCXXVI. ex Mechtilde, uxore sua, filia regis Anglie, reliquit filium Fridericum, Ducem Swevie; et hic decedens reliquit tres filios, scilicet: Hinricum, Fridericum et Conradum regem.

Magoni, Ducis Saxonie quinti, filiam Wihildim duxit Henricus, Dux Bavarie, frater Ducis Welfi, et genuit ex ea Henricum, Ducem Bavarie. Hic duxit Gertrudem, filiam Luderi, Ducis Saxonie, et genuit ex ea Henricum Leonem, et fratrem ejus Welf juniorem, et filiam Juttam nomine.

Anno Domini MCXXXVI. Hinrico V. defuncto, Luderus, Dux Saxonie, rex electus est, et Lotharius appellatus, et anno octavo regni sui Imperator coronatus: et fuit in diebus ejus tranquillitas et pax inter Sacerdotium et regnum: et ita Lotharius rex factus ducatum Saxonie dedit focero suo, Domino Hinrico, Duci Bavarie, ut duos Ducatus pariter possideret. In isto ergo redit ducatus ad semen Billingi.

Lotharius vero rex, assumpto duce Hinrico, focero suo, Roma et Italia est potitus. Qui cum redire pararet, Rogero ab Apulia depulso, anno Domini MCXXXVII., cum regnasset annis XII., inmatura morte preventus est: cui successit Conradus rex, filius Frederici, Ducis Swevie, nepos Henrici quinti.

Anno ergo Domini MCXXXIX. mortuo Henrico, Duce Bavarie et Saxonie, Gertrudis, filia Lotharii, uxor ejus, duxit Henricum, fratrem Conradi regis: et ille ducatum Bavarie, qui jure hereditario debebatur Henrico Leoni, filio Ger-

trudis, cum matre pueri obtinuit. Juttam vero filiam Gerthrudis duxit Fridericus, Dux Swevie, frater Conradi regis, et genuit ex ea Fridericum, primum hujus nominis Imperatorem. Hic Henricum, filium avunculi sui, exheredavit. Cui successit filius ejus Henricus. Hic adolescens MCLXXXIII. duxit Constantiam vetulam LX annorum, filiam Rogeri, regis Sicilie, Calabrie et Apulie, que anno aetatis sue LXI. in Assisio peperit, vel peperisse finxit, filium Fridericum, qui successit Ottoni, existens XXIII annorum, de quibus require in Chronicis Imperatorum. Contra Fridericum excommunicatum et depositum electus fuit anno Domini MCCXLVI. Henricus, Lantgravius Thuringie. Quo post unum annum defuncto, electus est Wilhelmus, Comes Hollandie, MCCXLVIII., et octo annis supervivens a Frisonibus occisus est. Quo mortuo habita est mentio de eligendo Ottone, Marchione Brandeburgensi, viro ad imperium idoneo et devoto. Sed interveniente pecunia, Richardus frater Hinrici, regis Anglie, Comes Cornubie in regem a tribus tantum Electoribus, scilicet Archiepiscopis Maguntino, Colonienfi et Palatino, MCCLVII. est assumtus; aliis tribus, scilicet Archiepiscopo Treverensi, Duce Saxonie, Marchione Brandeburgensi, eligentibus Alfunsum, regem Castelle. Quibus cassatis sub Gregorio Decimo, MCCLXXIII. mense Octobri, Vrankenforde Rodolphus, Comes Havickesburch, concorditer est electus; qui Auftriam, Stiriam et alias terras, quas rex Boëmie Odakerus sibi usurpaverat, recuperavit, et MCCLXXVIII. VII. kal. Septembris in prelio ipsam occidit.

Henricus Leo, Dux nonus, congregavit exercitum contra Henricum vitricum suum, ad ducatum Bawarie recuperandum. Sed rege Conrado fratrem suum juvante, non profecit. Mortuo tandem rege Conrado, vacavit Imperium annis sex. Demum successit ei Fridericus, filius fratris Conradi regis, Friderici, Ducis Suevie. Temporibus hujus Imperatoris, cum potestas Ducis Henrici Leonis invaluisset super omnes Duces Saxonie, et factus esset dominus terre Sclavorum, impetravit ab Imperatore autoritatem dandi et suscitandi et confirmandi Episcopatus in omni terra Slavorum; unde et Zuerinensem et Raceburgensem et Aldenburgensem, qui nunc Lubicensis dicitur, instituit Episcopos et confirmavit.

Anno Domini MCLXXI. Henricus Leo terram suam Wichmanno Magdeburgensi Archiepiscopo committens, ad Terram Sanctam per terram profectus est: et visitatis locis sanctis et sepulchro Domini, cum gloria in Theutonium est reversus. Qui Friederico Imperatori, obsidenti Mediolanum, veniens in auxilium cum mille loricatis, humiliter vero rogaretur ab Imperatore, ut maneret, illicentiatus contumaxque recessit. Post annos autem quinque, cum contumelia Mediolanensium perpetua Mediolano destructo, tandem imperator in Theutonium rediens, celebrata curia, Henricum Leonem, filium avunculi sui, a ducatu et feodis, que ab Imperio tenuit, devestivit; vix sibi Lunenburch et Bardawik et paucis aliis derelictis. Episcopo Colonienfi contulit Westphaliam, et alia ceteris est largitus, et sic ducatus Saxonie datus est Bernhardo. Obiit autem Henricus Leo anno Domini MCXXV. (sic) et reliquit Henricum, Ottonem Imperatorem, Luderum, Ricze heredes et Wilhelmum.

Wilhelmus anno Domini MCCII. duxit uxorem Helenam, sororem Waldemari, regis Dacie, et genuit ex ea Ottonem de Luneborch, et obiit anno Domini MCCIII. Otto vero duxit uxorem Mechtildem, filiam Alberti, Brandenburgensis Marchionis, et genuit ex ea Ottonem. Hic cadens de vehiculo glaciali, mortuus est et in Lunenburch sepultus. Albertum. (sic) Hic juvenis existens, Comitem Conradum de Everstein, contra ipsum Episcopum Maguntinum incitantem, per pedes suspendit. Archiepiscopum Maguntinum in clauetro Amelungesborne cepit, et castrum Alseborch obtinuit. Anno MCCLVII. intravit Holtfattam ipsam rapinis et exactionibus devastans, cepit in ea Plone civitatem et castrum. Hic MCCLXIII. V. kal. Novembris, a Tiderico, Marchione Misnensi, cum Henrico Pingui, Comite, et fere suis omnibus est captus. MCCLXI. Hic primo duxit filiam Ducis Brabantie. Postea filiam Marchionis Montis-ferrati Aleidem. Obiit MCCLXXIX. in die Assumptionis, sex filios relinquens et unam filiam:

Johannem, qui duxit uxorem filiam Gerardi, Comitis de Schowenborch. Qui cum Alberto fratre suo terram dividens, Lunenborch obtinuit principatum. Moriens anno MCCLXXVI. tutelam filiorum suorum fratri dereliquit.

Conradum, qui laicari volens, Praeposituram majorem in Brema perdidit: postmodum in Verdensem Episcopum est electus.

Ottonem, Episcopum Hyldensensem, qui jura Ecclesie in temporalibus bene defendit. Obiit MCCLXXIX.

Mechtildim, quam duxit Henricus Pinguis, Comes de Anahalt, et genuit Ottonem Comitem.

Helenam, quam primo duxit Hermannus, Dominus Hassie, filius filie Domine Beate Elifabeth: postea Albertus, Dux Saxonie. Que obiit MCCLXX.

Alheidem, quam duxit Henricus, Dominus Hassie, filius filie Beate Elifabeth.

Helenam, quam duxit Wilhelmus de Hollandia rex, MCCLI. et genuit ex ea Florentium, Comitem Hollandie. Florentius duxit filiam Comitis Flandrie, quam mater in Quedlingeborch Canonicam fecit. Postmodum fratres sui eam Domino Rugie copularunt. Obiit autem Otto de Lunenborch MCCLII., Mechtildis, uxor ejus, MCCLXI., et eis successit Albertus.

Suigerus XIII., Brandenburgensis Episcopus, cepit MCXXXIX, sedit annis XXI, menses IV, dies XVII. Obiit MCXLI., sepultus in capella in castro Brandenburgensi. Hic fuit, antequam eligeretur, Praepositus S. Marie Magdeburgi, Ordinis Praemonstratensis, et primus illius Ordinis Episcopus Brandenburgensis. Hic in curte sua Liezeke Ecclesiam construxit et ibidem fratres sui Ordinis collocavit et bonis ditavit. Hic anno Domini MCXLVII. cum Frederico, Magdeburgensi Episcopo, et Anselmo, Havelbergensi Episcopo, et pluribus aliis, accepta cruce, contra paganos contra Aquilonem habitantes profectus est. Hujus temporibus fuit in Brandenburg rex Henricus, qui Slavice dicebatur Pribezlaus: qui Christianus factus, Idolum, quod in Brandeburgh fuit, cum tribus capitibus, quod Tryglav Slavice dicebatur et pro Deo colebatur, et

alia Idola destruxit, et idolatriam et ritum gentis sue detestans, cum filium non haberet, Adelbertum Marchionem, dictum Urfum, heredem sui instituit principatus. — —

Sifridus XV., Episcopus Brandeburgensis, cepit anno Domini MCLXXIII. Sedit annis sex, mensibus IIX, diebus XXIV. Hic fuit filius Adelberti Urfi, Marchionis Brandeburgensis, et frater Ottonis primi, et de clerico seculari in Brandeburgensem Episcopum est electus, Praeposito Brandeburgensi Gerardo, et post Henrico. Hic fuit Canonicus Sancte Marie in Magdeburg. Hic anno Domini MCLXXX. in Archiepiscopum Bremensem est confirmatus, et cessavit Episcopatus Brandeburgensis. —

Aldwinus XIX. cepit anno Domini MCCV, sedit annis XI, mensibus VII, diebus XXVI. Obiit MCCXVII. pridie kal. Junii. Hic juramento obtinuit coram Alberto Marchione, Silvam Wernitz, ad castrum Pritzerwe que est, Brandeburgensi Ecclesie pertinere. Hic de praeposito in Episcopum est electus, et ei in Praepositura Günzelinus successit, et Günzelino Sifridus. Sifridus XX. cepit anno Domini MCCXVII, sedit annis III, mensibus XI, diebus XXXIII. (sic) Hic de Praeposito factus Episcopus, fratrem suum carnalem Alvericum, Canonicum Magdeburgensem, virum literatum et providum, qui Ordinem Cisterciensem assumerat in Lenin, in novitiatu recepit, et sibi in praepositura substituit, anno Domini MCCXVII. XIII. kal. Julii. Qui Praepositus ecclesie praesidens utiliter annis XIII mensibus X ad Ordinem Cisterciensem in Lenin rediit, anno Domini MCCXXI. IX. kal. Maii, et ibidem in Domino — — —

— — Ruthgero Praepositis. Obiit autem anno Domini MCCXXI. XIX. kal. Januarii et cessavit Episcopatus dies V. Hic bonae literaturae magister fuerat Alberti Archiepiscopi Magdeburgensis: Qui propter morum et scientiae elegantiam ipsum ad Decanatum et Episcopatum creditur promovisse. Fuit enim homo mundus, dulcis, affabilis, studiosus et disciplinatus, adeo ut et ipsi filii nobilium mitterentur ad eum disciplina et moribus imbuendi. Cotidie pauperes et Scholares ad mensam coram se posuit comedentes. Hic de decimis novae terrae cum Johanne et Ottone Marchionibus terminavit: altare in Crypta consecravit in honorem Marie Virginis, Johannis Baptiste, Marie Magdalene, Catharine, Livini Episcopi et Martyris MCCXXXV. VI. kal. Decembris, temporibus Jacobi Praepositi. Jacobus emit villam Mukede et proprietatem, et laudabiliter sue Ecclesie prefuit.